

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und gemäß
II. sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

Utrum satius sit modicos habere adfectus an nullos saepe
quaesitum est. Nostri illos expellunt, Peripatetici temperant.
Ego non video quomodo salubris esse aut utilis possit ulla
mediocritas morbi. Noli timere: nihil eorum quae tibi non
5 vis negari eripio. Facilem me indulgentemque praebebo rebus
ad quas tendis et quas aut necessarias vitae aut utiles aut
iucundas putas: detrahā vitium. Nam cum tibi cupere inter-
dixero, velle permittam, ut eadem illa intrepidus facias, ut
certiore consilio, ut voluptates ipsas magis sentias: quidni ad
10 te magis per venturae sint si illis imperabis quam si servies?
'Sed naturale est' inquis 'ut desiderio amici torquear: da ius
lacrimis tam iuste cadentibus. Naturale est opinionibus
hominum tangi et adversis contristari: quare mihi non per-
mittas hunc tam honestum malae opinionis metum?' Nullum
15 est vitium sine patrocinio; nulli non initium verecundum est
et exorable, sed ab hoc latius funditur. Non obtinebis ut
desinat si incipere permiseris. Inbecillus est primo omnis
adfectus; deinde ipse se concitat et vires dum procedit parat:
excluditur facilis quam expellitur. Quis negat omnis adfectus
20 a quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri
natura mandavit, sed huic ubi nimium indulseris, vitium est.
Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam
peteremus, sed ut ea sine quibus non possumus vivere gra-
tiora nobis illius faceret accessio: suo veniat iure, luxuria est.
25 Ergo intrantibus resistamus, quia facilis, ut dixi, non reci-
piuntur quam exeunt. 'Aliquatenus' inquis 'dolere, aliquate-
nus timere permitte.' Sed illud 'aliquatenus' longe producitur
nec ubi vis accipit finem. Sapienti non sollicite custodire se
tutum est, et lacrimas suas et voluptates ubi volet sistet:
30 nobis, quia non est regredi facile, optimum est omnino non
progredi.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Welche syntaktische Funktion haben die Infinitive "cupere" und "velle" in dem Satz: "Nam sentias", Zeile 7f.?
2. Erklären Sie die Konstruktion und Beziehung von "nobis nostri" in dem Satz "Curam mandavit", Zeile 20.
3. Skizzieren Sie das Bedeutungsfeld von "accessio", Zeile 24.